

Testo del Libro VI promulgato  
con la Cost. ap. *Pascite gregem Dei*

LIBER VI  
DE SANCTIONIBUS POENALIBUS IN ECCLESIA

PARS I  
DE DELICTIS ET POENIS IN GENERE

TITULUS I  
DE DELICTORUM PUNITIONE GENERATIM

**Can. 1311** - § 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est christifideles poenalibus sanctionibus coercendi qui delicta commiserint.

§ 2. Qui Ecclesiae praeest bonum ipsius communitatis singulorumque christifidelium tueri ac promovere debet caritate pastorali, exemplo vitae, consilio et adhortatione et, si opus sit, etiam poenarum irrogatione vel declaratione, iuxta legis pracepta semper cum aequitate canonica applicanda, p[re] oculis habens iustitiae restitutionem, rei emendationem et scandali reparationem.

**Can. 1312** - § 1. Sanctiones poenales in Ecclesia sunt:

- 1º poenae medicinales seu censurae, quae in cann. 1331-1333 recensentur;
- 2º poenae expiatoriae, de quibus in can. 1336.

§ 2. Lex alias poenas expiatorias constituere potest, quae christifidelem aliquo bono spirituali vel temporali privent et supernaturali Ecclesiae fini sint consentaneae.

§ 3. Praeterea adhibentur remedia poenalia et paenitentiae de quibus in cann. 1339 et 1340, illa quidem praesertim ad delicta praecavenda, hae potius ad poenam substituendam vel augendam.

TITULUS II  
DE LEGE POENALI AC DE PRAECEPTO POENALI

**Can. 1313** - § 1. Si post delictum commissum lex mutetur, applicanda est lex reo favorabilior.

§ 2. Quod si lex posterior tollat legem vel saltem poenam, haec statim cessat.

**Can. 1314** - Poena ordinarie est ferendae sententiae, ita ut reum non teneat, nisi postquam irrogata sit; est autem latae sententiae si lex vel praecipuum id expresse statuat, ita ut in eam incurrit ipso facto commissi delicti.

**Can. 1315** - § 1. Qui potestatem habet leges poenales ferendi, potest etiam legem divinam congrua poena munire.

§ 2. Legislator inferior, attento can. 1317, potest insuper:

1º legem a superiore auctoritate latam congrua poena munire, servatis competentiae limitibus ratione territorii vel personarum;

2º poenis lege universali in aliquod delictum constitutis alias poenas addere;

3º poenam lege universali constitutam ut indeterminatam vel facultativam determinare aut obligatoriam reddere.

§ 3. Lex ipsa potest poenam determinare vel prudenti iudicis aestimationi determinandam relinquere.

**Can. 1316** - Curent Episcopi diocesani ut, quatenus fieri potest, in eadem civitate vel regione uniformes

ferantur poenales leges.

**Can. 1317** - Poenae eatenus constituantur, quatenus vere necessariae sint ad aptius providendum ecclesiasticae disciplinae. A legislatore autem inferiore dimissio e statu clericali constitui nequit.

**Can. 1318** - Latae sententiae poenae ne constituantur, nisi forte in singularia quaedam delicta dolosa, quae vel graviori esse possint scandalo vel efficaciter puniri poenis ferendae sententiae non possint; censurae autem, praesertim excommunicatio, ne constituantur, nisi maxima cum moderatione et in sola delicta specialis gravitatis.

**Can. 1319** - § 1. Quatenus quis potest vi potestatis regiminis in foro externo preecepta imponere iuxta praescripta cann. 48-58, eatenus potest etiam poenas determinatas, exceptis expiatoriis perpetuis, per preeceptum comminari.

§ 2. Si preeceptum poenale, re mature perpensa, imponendum sit, serventur quae statuuntur in cann. 1317 et 1318.

**Can. 1320** - In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem poenis coerceri.

### TITULUS III DE SUBIECTO POENALIBUS SANCTIONIBUS OBNOXIO

**Can. 1321** - § 1. Quilibet innocens censetur donec contrarium probetur.

§ 2. Nemo punitur, nisi externa legis vel preecepti violatio, ab eo commissa, sit graviter imputabilis ex dolo vel ex culpa.

§ 3. Poena lege vel preecepto statuta is tenetur, qui legem vel preeceptum deliberate violavit; qui vero id egit ex omissione debitae diligentiae, non punitur, nisi lex vel preeceptum aliter caveat.

§ 4. Posita externa violatione, imputabilitas preesumitur, nisi aliud appareat.

**Can. 1322** - Qui habitualiter rationis usu carent, etsi legem vel preeceptum violaverint dum sani videbantur, delicti incapaces habentur.

**Can. 1323** - Nulli poenae est obnoxius qui, cum legem vel preeceptum violavit:

1º sextum decimum aetatis annum nondum explevit;

2º sine culpa ignoravit se legem vel preeceptum violare; ignorantiae autem inadvertentia et error aequiparantur;

3º egit ex vi physica vel ex casu fortuito, quem preevidere vel cui preeviso occurrere non potuit;

4º metu gravi, quamvis relative tantum, coactus egit, aut ex necessitate vel gravi incommodo, nisi tamen actus sit intrinsece malus aut vergat in animarum damnum;

5º legitimae tutelae causa contra iniustum sui vel alterius aggressorem egit, debitum servans moderamen;

6º rationis usu carebat, firmis praescriptis cann. 1324, § 1, n. 2, et 1326, § 1, n. 4;

7º sine culpa putavit aliquam adesse ex circumstantiis, de quibus in nn. 4 vel 5.

**Can. 1324** - § 1. Violationis auctor non eximitur a poena, sed poena lege vel preecepto statuta temperari debet vel in eius locum paenitentia adhiberi, si delictum patratum sit:

1º ab eo, qui rationis usum imperfectum tantum habuerit;

2º ab eo qui rationis usu carebat propter ebrietatem aliamve similem mentis perturbationem, quae culpabilis fuerit, firmo preescripto can. 1326, § 1, n. 4;

3º ex gravi passionis aestu, qui non omnem tamen mentis deliberationem et voluntatis consensum preecesserit et impedierit, et dummodo passio ipsa ne fuerit voluntarie excitata vel nutrita;

4º a minore, qui aetatem sedecim annorum explevit;

5º ab eo, qui metu gravi, quamvis relative tantum, coactus est, aut ex necessitate vel gravi incommodo egit, si delictum sit intrinsece malum vel in animarum damnum vergat;

6º ab eo, qui legitimae tutelae causa contra iniustum sui vel alterius aggressorem egit, nec tamen debitum servavit moderamen;

7º aduersus aliquem graviter et iniuste provocantem;

8º ab eo, qui per errorem, ex sua tamen culpa, putavit aliquam adesse ex circumstantiis, de quibus in can. 1323, nn. 4 vel 5;

9º ab eo, qui sine culpa ignoravit poenam legi vel paecepto esse adnexam;

10º ab eo, qui egit sine plena imputabilitate, dummodo haec gravis permanserit.

§ 2. Idem potest iudex facere, si qua alia adsit circumstantia, quae delicti gravitatem deminuat.

§ 3. In circumstantiis, de quibus in § 1, reus poena latae sententiae non tenetur, attamen ad resipiscentiam vel ad scandali reparationem, ipsi poenae mitiores irrogari vel poenitentiae applicari possunt.

**Can. 1325** - Ignorantia crassa vel supina vel affectata numquam considerari potest in applicandis paeceptis cann. 1323 et 1324.

**Can. 1326** - § 1. Iudex gravius punire debet quam lex vel paeceptum statuit:

1º eum, qui post condemnationem vel poenae declarationem ita delinquere pergit, ut ex adiunctis prudenter eius pertinacia in mala voluntate conici possit;

2º eum, qui in dignitate aliqua constitutus est, vel qui auctoritate aut officio abusus est ad delictum patrandum;

3º eum, qui, cum poena in delictum culposum constituta sit, eventum paevidit et nihilominus cautiones ad eum vitandum omisit, quas diligens quilibet adhibuisset;

4º eum, qui deliquerit in statu ebrietatis aliasve mentis perturbationis, quae sint de industria ad delictum patrandum vel excusandum quaesitae, aut ob passionem voluntarie excitatam vel nutritam.

§ 2. In casibus, de quibus in § 1, si poena constituta sit latae sententiae, alia poena addi potest vel paenitentia.

§ 3. In iisdem casibus, si poena constituta sit ut facultativa, fit obligatoria.

**Can. 1327** - Lex particularis potest alias circumstantias eximentes, attenuantes vel aggravantes, praeter casus de quibus in cann. 1323-1326, statuere, sive generali norma, sive pro singulis delictis. Item in paecepto possunt circumstantiae statui, quae a poena paecepto constituta eximant, vel eam attenuent vel aggravent.

**Can. 1328** - § 1. Qui aliquid ad delictum patrandum egit vel omisit, nec tamen, praeter suam voluntatem, delictum consummavit, non tenetur poena in delictum consummatum statuta, nisi lex vel paeceptum aliter caveat.

§ 2. Quod si actus vel omissiones natura sua ad delicti execucionem conductant, auctor potest paenitentiae vel remedio poenali subici, nisi sponte ab incepta delicti execuzione destiterit. Si autem scandalum aliudve grave damnum vel periculum evenerit, auctor, etsi sponte destiterit, iusta potest poena puniri, leviore tamen quam quae in delictum consummatum constituta est.

**Can. 1329** - § 1. Qui communi delinquendi consilio in delictum concurrunt, neque in lege vel paecepto expresse nominantur, si poenae ferendae sententiae in auctorem principalem constitutae sint, iisdem poenis subiciuntur vel aliis eiusdem vel minoris gravitatis.

§ 2. In poenam latae sententiae delicto adnexam incurunt complices, qui in lege vel paecepto non nominantur, si sine eorum opera delictum patratum non esset, et poena sit talis naturae, ut ipsos afficere possit; secus poenis ferendae sententiae puniri possunt.

**Can. 1330** - Delictum quod in declaratione consistat vel in alia voluntatis vel doctrinae vel scientiae manifestatione, tamquam non consummatum censendum est, si nemo eam declarationem vel manifestationem percipiat.

**TITULUS IV**  
**DE POENIS ALIISQUE PUNITIONIBUS**

**CAPUT I**  
**DE CENSURIS**

**Can. 1331** - § 1. Excommunicatus prohibetur:

- 1º Eucharistiae Sacrificium et reliqua sacramenta celebrare;
- 2º sacramenta recipere;
- 3º sacramentalia administrare et reliquas cultus liturgici caeremonias celebrare;
- 4º in celebrationibus antea recensisit ullam partem activam habere;
- 5º ecclesiastica officia, munera, ministeria et functiones exercere;
- 6º actus regiminis ponere.

§ 2. Quod si excommunicatio ferenda sententiae irrogata vel latae sententiae declarata sit, reus:

1º si agere velit contra praescriptum § 1, nn. 1-4, est arcendum aut a liturgica actione est cessandum, nisi gravis obstet causa;

- 2º invalide ponit actus regiminis, qui ad normam § 1, n. 6, sunt illiciti;
- 3º prohibetur frui privilegiis antea concessis;
- 4º retributioes, quae ob titulum mere ecclesiasticum habeat, non acquirit;
- 5º inhabilis est ad consequenda officia, munera, ministeria, functiones, iura, privilegia et titulos honorificos.

**Can. 1332** - § 1. Interdictus tenetur prohibitionibus, de quibus in can. 1331, § 1, nn. 1-4.

§ 2. Lex tamen vel praceptum interdictum definire eo modo potest, ut tantum quaedam singulares actiones, de quibus in can. 1331, § 1, nn. 1-4, vel alia quaedam singula iura reo prohibeantur.

§ 3. Etiam in casu interdicti praescriptum can. 1331, § 2, n. 1, servandum est.

**Can. 1333** - § 1. Suspensio prohibet:

- 1º omnes vel aliquos actus potestatis ordinis;
- 2º omnes vel aliquos actus potestatis regiminis;
- 3º exercitium omnium vel aliquorum iurum vel munerum officio inherentium.

§ 2. In lege vel pracepto statui potest, ut post sententiam vel decretum, quae poenam irrogant vel declarant, actus regiminis suspensus valide ponere nequeat.

§ 3. Prohibitio numquam afficit:

- 1º officia vel regiminis potestatem, quae non sint sub potestate Superioris poenam constituentis;
- 2º ius habitandi, si quod reus ratione officii habeat;
- 3º ius administrandi bona, quae ad ipsius suspensi officium forte pertineant, si poena sit latae sententiae.

§ 4. Suspensio prohibens fructus, stipendium, pensiones aliave eiusmodi percipere, obligationem secumfert restituendi quidquid illegitime, quamvis bona fide, perceptum sit.

**Can. 1334** - § 1. Suspensionis ambitus, intra limites in canone praecedenti statutos, aut ipsa lege vel pracepto definitur, aut sententia vel decreto quo poena irrogatur.

§ 2. Lex, non autem praceptum, potest latae sententiae suspensionem, nulla addita determinatione vel limitatione, constituere; eiusmodi autem poena omnes effectus habet, qui in can. 1333, § 1 recensentur.

**Can. 1335** - § 1. Si censuram infligat vel declarat in processu iudiciali aut per decretum extra iudicium, auctoritas competens potest quoque eas poenas expiatorias imponere, quas ad iustitiam restituendam vel ad scandalum reparandum necessarias censeat.

§ 2. Si censura prohibeat celebrare sacramenta vel sacramentalia vel ponere actum potestatis regiminis, prohibitio suspenditur, quoties id necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis; quod si censura latae sententiae non sit declarata, prohibitio praeterea suspenditur, quoties fidelis petit sacramentum vel sacramentale vel actum potestatis regiminis; id autem petere ex qualibet iusta causa licet.

## CAPUT II DE POENIS EXPIATORIIS

**Can. 1336** - § 1. Poenae expiatoriae, quae delinquentem afficere possunt aut in perpetuum aut in tempus praefinitum aut in tempus indeterminatum, praeter alias, quas forte lex constituerit, sunt quae in §§ 2-5 recensentur.

§ 2. Praescriptio:

1º commorandi in certo loco vel territorio;  
2º solvendi mulctam pecuniariam seu summam pecuniae in fines Ecclesiae, iuxta rationes ab Episcoporum conferentia definitas.

§ 3. Prohibitio:

1º commorandi in certo loco vel territorio;  
2º exercendi, ubique aut in certo loco vel territorio aut extra illa, omnia vel aliqua officia, munera, ministeria aut functiones vel aliqua tantum opera officiis aut muneribus inhaerentia;  
3º ponendi omnes vel aliquos actus potestatis ordinis;  
4º ponendi omnes vel aliquos actus potestatis regiminis;  
5º exercendi aliquod ius vel privilegium aut utendi insignibus vel titulis;  
6º fruendi voce activa vel passiva in electionibus canonicis vel partem habendi cum iure ferendi suffragium in consiliis vel collegiis ecclesialibus;  
7º deferendi habitum ecclesiasticum vel religiosum.

§ 4. Privatio:

1º omnium vel aliquorum officiorum, munerum, ministeriorum aut functionum vel aliquorum tantum operum officiis aut muneribus inhaerentium;  
2º facultatis confessiones excipiendi vel praedicandi;  
3º potestatis regiminis delegatae;  
4º alicuius iuris vel privilegii aut insignium vel tituli;  
5º totius vel partis remunerationis ecclesiasticae, iuxta rationes ab Episcoporum conferentia statutas, salvo quoque praescripto can. 1350, § 1.

§ 5. Dimissio e statu clericali.

**Can. 1337** - § 1. Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio sive clericos sive religiosos afficere potest; praescriptio autem commorandi, clericos saeculares et, intra limites constitutionum, religiosos.

§ 2. Ut praescriptio commorandi in certo loco vel territorio irrogetur, accedat oportet consensus Ordinarii illius loci, nisi agatur de domo extradioecesanis quoque clericis paenitentibus vel emendandis destinata.

**Can. 1338** - § 1. Poenae expiatoriae, quae in can. 1336 recensentur, numquam afficiunt potestates, officia, munera, iura, privilegia, facultates, gratias, titulos, insignia, quae non sint sub potestate Superioris poenam constituentis.

§ 2. Potestatis ordinis privatio dari nequit, sed tantum prohibitio eam vel aliquos eius actus exercendi; item dari nequit privatio graduum academicorum.

§ 3. De prohibitionibus, quae in can. 1336, § 3, indicantur, norma servanda est, quae de censuris datur in can. 1335, § 2.

§ 4. Latae sententiae eae tantum poenae expiatoriae esse possunt, quae ut prohibitiones in can. 1336, § 3,

recensentur vel aliae quae forte lege aut pracepto constitutae sint.

§ 5. Prohibitiones de quibus in can. 1336, § 3, numquam sunt sub poena nullitatis.

### CAPUT III DE REMEDIIS POENALIBUS ET PAENITENTIIS

**Can. 1339** - § 1. Eum, qui versatur in proxima delinquendi occasione, vel in quem, ex investigatione peracta, gravis cadit suspicio delicti commissi, Ordinarius per se vel per alium monere potest.

§ 2. Eum ex cuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriatur, Ordinarius corripere potest, modo peculiaribus personae et facti condicionibus accommodato.

§ 3. De monitione et correptione constare semper debet saltem ex aliquo documento, quod in secreto curiae archivo servetur.

§ 4. Si, semel vel pluries, monitiones vel correptiones inutiliter alicui factae sint, vel si ex iis effectus exspectare non liceat, Ordinarius det praecipuum poenale, in quo accurate prescribat quid agendum vel vitandum sit.

§ 5. Si casus gravitas ferat, ac praesertim si quis versetur in periculo relabendi in delictum, eum Ordinarius, etiam praeter poenas ad normam iuris irrogatas vel declaratas per sententiam vel decretum, submittat vigilantiae modo per decretum singulare determinato.

**Can. 1340** - § 1. Paenitentia, quae imponi potest in foro externo, est aliquod religionis vel pietatis vel caritatis opus peragendum.

§ 2. Ob transgressionem occultam numquam publica imponatur paenitentia.

§ 3. Paenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis vel correptionis.

### TITULUS V DE POENARUM APPLICATIONE

**Can. 1341** - Ordinarius proceduram iudicialem vel administrativam ad poenas irrogandas vel declarandas promovere debet cum perspexerit neque pastoralis sollicitudinis viis, praesertim fraterna correctione, neque monitione neque correptione satis posse iustitiam restituiri, reum emendari, scandalum reparari.

**Can. 1342** - § 1. Quoties iustiae obstent causae ne iudicialis processus fiat, poena irrogari vel declarari potest per decretum extra iudicium, servato can. 1720, praesertim quod attinet ad ius defensionis atque ad moralem certitudinem in animo eius qui decretum fert ad normam can. 1608. Remedia poenalia et paenitentiae applicari possunt per decretum in quolibet casu.

§ 2. Per decretum irrogari vel declarari non possunt poenae perpetuae, neque poenae quas lex vel praecipuum eas constituens vetet per decretum applicare.

§ 3. Quae in lege vel pracepto dicuntur de iudice, quod attinet ad poenam irrogandam vel declarandam in iudicio, applicanda sunt ad Superiorem, qui per decretum extra iudicium poenam irroget vel declareret, nisi aliter constet neque agatur de prescriptis quae ad procedendi tantum rationem attineant.

**Can. 1343** - Si lex aut praecipuum iudici facultatem concedat applicandi vel non applicandi poenam, iste, salvo prescripto can. 1326, § 3, rem definiat, pro sua conscientia et prudentia, iuxta id quod expostulant iustitiae restitutio, rei emendatio et scandali reparatio; iudex autem his in casibus potest etiam, si res ferat, poenam temperare vel in eius locum paenitentiam imponere.

**Can. 1344** - Etiamsi lex utatur verbis praceptivis, iudex pro sua conscientia et prudentia potest:

1º poenae irrogationem in tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur, nisi necessitas urgeat scandalum reparandi;

2º a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare aut paenitentiam adhibere, si reus emendatus sit, necnon scandalum et damnum forte illatum reparaverit, aut si ipse satis a civili auctoritate punitus sit vel punitum iri praevideatur;

3º obligationem servandi poenam expiatoriam suspendere, si reus primum post vitam laudabiliter peractam deliquerit neque necessitas urgeat reparandi scandalum, ita tamen ut, si reus intra tempus ab ipso iudice determinatum rursus deliquerit, poenam utriusque delicto debitam luat, nisi interim tempus decurrerit ad actionis penalnis pro priore delicto praescriptionem.

**Can. 1345** - Quoties delinquens vel usum rationis imperfectum tantum habuerit, vel delictum ex necessitate vel gravi metu aut passionis aestu vel, salvo praescripto can. 1326, § 1, n. 4, in ebrietate aliave simili mentis perturbatione patraverit, iudex potest etiam a qualibet punitione irroganda abstinere, si censeat aliter posse melius consuli eius emendationi; reus tamen puniri debet si aliter ad iustitiam restituendam, et scandalum forte illatum reparandum provideri non possit.

**Can. 1346** - § 1. Ordinarie tot poenae quot delicta.

§ 2. Quoties vero reus plura delicta patraverit, si nimius videatur poenarum ferendae sententiae cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur poenas intra aequos terminos moderari, et eum vigilantiae subicere.

**Can. 1347** - § 1. Censura irrogari valide nequit, nisi antea reus semel saltem monitus sit ut a contumacia recedat, dato congruo ad resipiscentiam tempore.

§ 2. A contumacia recessisse dicendus est reus, quem delicti vere paenituerit, quiue praeterea congruam scandali et damni reparationem dederit vel saltem id praestare serio promiserit.

**Can. 1348** - Cum reus ab accusatione absolvitur vel nulla poena ei irrogatur, Ordinarius potest opportunis monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis, vel etiam, si res ferat, poenalibus remediis eius utilitati et publico bono consulere.

**Can. 1349** - Si poena sit indeterminata neque aliud lex caveat, iudex in poenis determinandis eas eligat quae inducunt scandalum et damnum gravitati proportionatae sint; poenas tamen graviores ne irroget, nisi casus gravitas id omnino postulet; perpetuas autem poenas irrogare non potest.

**Can. 1350** - § 1. In poenis clero irrogandis semper cavendum est, ne iis quae ad honestam sustentationem sunt necessaria ipse careat, nisi agatur de dimissione e statu clericali.

§ 2. Dimisso autem e statu clericali, qui propter poenam vere indigeat, Ordinarius meliore quo fieri potest modo providere curet, exclusa vero collatione officii, ministerii vel muneric.

**Can. 1351** - Poena reum ubique tenet, etiam resoluto iure eius qui poenam constituit, irrogavit vel declaravit, nisi aliud expresse caveatur.

**Can. 1352** - § 1. Si poena prohibeat recipere sacramenta vel sacramentalia, prohibitio suspenditur, quamdiu reus in mortis periculo versatur.

§ 2. Obligatio servandi poenam latae sententiae, quae neque declarata sit neque sit notoria in loco ubi delinquens versatur, eatenus ex toto vel ex parte suspenditur, quatenus reus eam servare nequeat sine periculo gravis scandali vel infamiae.

**Can. 1353** - Appellatio vel recursus a sententiis iudicialibus vel a decretis, quae poenam quamlibet irrogent vel declarent, habent effectum suspensivum.

## TITULUS VI

## DE POENARUM REMISSIONE ET DE ACTIONUM PRAESCRIPCIÓN

**Can. 1354** - § 1. Praeter eos, qui in cann. 1355-1356 recensentur, omnes, qui a lege, quae poena munita est, dispensare possunt vel a pracepto poenam comminanti eximere, possunt etiam eam poenam remittere.

§ 2. Potest praeterea lex vel praceptum, poenam constituens, aliis quoque potestatem facere remittendi.

§ 3. Si Apostolica Sedes poenae remissionem sibi vel aliis reservaverit, reservatio stricte est interpretanda.

**Can. 1355** - § 1. Poenam lege constitutam, quae sit ferendae sententiae irrogata vel latae sententiae declarata, dummodo non sit Apostolicae Sedi reservata, remittere possunt:

1º Ordinarius, qui iudicium ad poenam irrogandam vel declarandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogavit vel declaravit;

2º Ordinarius loci in quo delinquens versatur, consulto tamen, nisi propter extraordinarias circumstantias impossibile sit, Ordinario, de quo sub n. 1.

§ 2. Poenam lege constitutam, quae sit latae sententiae nondum declarata et dummodo non sit Apostolicae Sedi reservata, remittere possunt:

1º Ordinarius suis subditis;

2º Ordinarius loci etiam iis qui in ipsius territorio versantur vel ibi deliquerint;

3º quilibet Episcopus in actu tamen sacramentalis confessionis.

**Can. 1356** - § 1. Poenam ferendae vel latae sententiae constitutam pracepto quod non sit ab Apostolica Sede latum, remittere possunt:

1º praecepsi auctor;

2º Ordinarius qui iudicium ad poenam irrogandam vel declarandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogavit vel declaravit;

3º Ordinarius loci, in quo delinquens versatur.

§ 2. Antequam remissio fiat, consulendum est, nisi propter extraordinarias circumstantias impossibile sit, praecepsi auctor, vel qui poenam irrogavit vel declaravit.

**Can. 1357** - § 1. Firmis praescriptis cann. 508 et 976, censuram latae sententiae excommunicationis vel interdicti non declaratam confessarius remittere potest in foro interno sacramentali, si paenitenti durum sit in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat.

§ 2. In remissione concedenda confessarius paenitenti onus iniungat recurrendi intra mensem sub poena reincidentiae ad Superiorem competentem vel ad sacerdotem facultate praeditum, et standi huius mandatis; interim imponat congruam paenitentiam et, quatenus urgeat, scandali et damni reparationem; recursus autem fieri potest etiam per confessarium, sine nominis mentione.

§ 3. Eodem onere recurrendi tenentur, cessante periculo, ii quibus ad normam can. 976 remissa est censura irrogata vel declarata vel Sedi Apostolicae reservata.

**Can. 1358** - § 1. Remissio censurae dari non potest nisi delinquenti qui a contumacia, ad normam can. 1347, § 2, recesserit; recedenti autem denegari nequit, salvo praescripto can. 1361, § 4.

§ 2. Qui censuram remittit, potest ad normam can. 1348 providere vel etiam paenitentiam imponere.

**Can. 1359** - Si quis pluribus poenis detineatur, remissio valet tantummodo pro poenis in ipsa expressis; generalis autem remissio omnes aufert poenas, iis exceptis quas in petitione delinquens mala fide reticuerit.

**Can. 1360** - Remissio poenae vi aut metu gravi aut dolo extorta ipso iure irrita est.

**Can. 1361** - § 1. Remissio dari potest etiam absenti vel sub condicione.

§ 2. Remissio in foro externo detur scripto, nisi gravis causa aliud suadeat.

§ 3. Remissionis petitio vel ipsa remissio ne divulgetur, nisi quatenus id vel utile sit ad rei famam tuendam vel necessarium ad scandalum reparandum.

§ 4. Remissio dari non debet donec, prudenti arbitrio Ordinarii, damnum forte illatum reus reparaverit; qui ad hanc reparationem vel restitutionem urgeri potest per unam ex poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, quod valet etiam cum illi censura remittitur ad normam can. 1358, § 1.

**Can. 1362** - § 1. Actio criminalis praescriptione extinguitur triennio, nisi agatur:

1º de delictis Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis, quae normis specialibus subiciuntur;

2º firmo praescripto n. 1, de actione ob delicta de quibus in cann. 1376, 1377, 1378, 1393, § 1, 1394, 1395, 1397, 1398, § 2, quae septennio praescribitur, vel de ea ob delicta de quibus in can. 1398, § 1, quae viginti annorum spatio praescribitur;

3º de delictis quae non sunt iure communi punita, si lex particularis alium praescriptionis terminum statuerit.

§ 2. Praescriptio, nisi aliud in lege statuatur, decurrit ex die quo delictum patratum est, vel, si delictum sit permanens vel habituale, ex die quo cessavit.

§ 3. Reo ad normam can. 1723 citato vel modo praeviso in can. 1507, § 3, certiore facto de exhibitione accusationis libelli iuxta can. 1721, § 1, praescriptio actionis criminalis suspenditur per tres annos, quo termino elapsa vel interrupta suspensione, cessationis processus poenalis causa, rursus currit tempus, quod adiungitur ad illud iam decursum pro praescriptione. Eadem suspensio pariter viget si, servato can. 1720, n. 1, ad poenam irrogandam vel declarandam per decretum extra iudicium procedatur.

**Can. 1363** - § 1. Si intra terminos de quibus in can. 1362, ex die quo sententia condemnatoria in rem iudicatam transierit computandos, non sit reo notificatum exsecutorium iudicis decretum de quo in can. 1651, actio ad poenam exsequendam praescriptione extinguitur.

§ 2. Idem valet, servatis servandis, si poena per decretum extra iudicium irrogata sit.

## PARS II DE SINGULIS DELICTIS DEQUE POENIS IN EADEM CONSTITUTIS

### TITULUS I DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET ECCLESIAE UNITATEM

**Can. 1364** - § 1. Apostata a fide, haereticus vel schismaticus in excommunicationem latae sententiae incurrit, firmo praescripto can. 194, § 1, n. 2; praeterea poenis, de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniri potest.

§ 2. Si diuturna contumacia vel scandali gravitas id postulet, aliae poenae addi possunt, non excepta dimissione e statu clericali.

**Can. 1365** - Qui, praeter casum de quo in can. 1364, § 1, doctrinam a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico damnatam docet vel doctrinam, de qua in can. 750, § 2, vel in can. 752, pertinaciter respuit, et ab Apostolica Sede vel ab Ordinario admonitus non retractat, censura puniatur et privatione officii; his sanctionibus aliae addi possunt de quibus in can. 1336, §§ 2-4.

**Can. 1366** - Qui contra Romani Pontificis actum ad Concilium Oecumenicum vel ad Episcoporum collegium recurrit censura puniatur.

**Can. 1367** - Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica baptizandos vel educandos tradunt, censura aliave iusta poena puniantur.

**Can. 1368** - Qui in publico spectaculo vel concione, vel in scripto publice evulgato, vel aliter instrumentis communicationis socialis utens, blasphemiam profert, aut bonos mores graviter laedit, aut in religionem vel Ecclesiam iniurias exprimit vel odium contemptumve excitat, iusta poena puniatur.

**Can. 1369** - Qui rem sacram, mobilem vel immobilem, profanat iusta poena puniatur.

## TITULUS II

### DE DELICTIS CONTRA ECCLESIASTICAM AUCTORITATEM ET MUNERUM EXERCITIUM

**Can. 1370** - § 1. Qui vim physicam in Romanum Pontificem adhibet, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit, cui, si clericus sit, alia poena, non exclusa dimissione e statu clericali, pro delicti gravitate addi potest.

§ 2. Qui id agit in eum qui episcopali chartere pollet, in interdictum latae sententiae et, si sit clericus, etiam in suspensionem latae sententiae incurrit.

§ 3. Qui vim physicam in clericum vel religiosum vel alium christifidelem adhibet in fidei vel Ecclesiae vel ecclesiasticae potestatis vel ministerii contemptum, iusta poena puniatur.

**Can. 1371** - § 1. Qui Sedi Apostolicae, Ordinario vel Superiori legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat, et post monitionem in inobedientia persistit, pro casus gravitate puniatur censura vel privatione officii vel aliis poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4.

§ 2. Qui obligationes sibi ex poena impositas violat, poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur.

§ 3. Si quis, asserens vel promittens aliquid coram ecclesiastica auctoritate, perjurium committit, iusta poena puniatur.

§ 4. Qui obligationem secreti pontificii servandi violat poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur.

§ 5. Qui non servaverit officium exequendi sententiam exexecutivam vel decretum poenale exexecutivum iusta poena puniatur, non exclusa censura.

§ 6. Qui communicare neglegit notitiam de delicto, cum ad id exsequendum lege canonica teneatur, puniatur ad normam can. 1336, §§ 2-4, adiunctis quoque aliis poenis pro delicti gravitate.

**Can. 1372** - Puniantur ad normam can. 1336, §§ 2-4:

1º qui impediunt libertatem ministerii vel exercitium potestatis ecclesiasticae aut legitimum rerum sacrarum vel bonorum ecclesiasticorum usum, aut perterrent eum qui potestatem vel ministerium ecclesiasticum exercuit;

2º qui impediunt libertatem electionis aut perterrent electorem vel electum.

**Can. 1373** - Qui publice simultates vel odia adversus Sedem Apostolicam vel Ordinarium excitat propter aliquem officii vel muneric ecclesiastici actum, aut ad inobedientiam in eos provocat, interdicto vel aliis iustis poenis puniatur.

**Can. 1374** - Qui nomen dat consociationi, quae contra Ecclesiam machinatur, iusta poena puniatur; qui autem eiusmodi consociationem promovet vel moderatur, interdicto puniatur.

**Can. 1375** - § 1. Quicumque officium ecclesiasticum usurpat, iusta poena puniatur.

§ 2. Usurpationi aequiparatur illegitima, post privationem vel cessationem a munere, eiusdem retentio.

**Can. 1376** - § 1. Poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur, firma damnum reparandi obligatione:

1º qui bona ecclesiastica subtrahit vel impedit ne eorundem fructus percipientur;

2º qui sine praescripta consultatione, consensu vel licentia aut sine alio requisito iure ad validitatem vel ad liceitatem imposito bona ecclesiastica alienat vel in ea actus administrationis exsequitur.

§ 2. Iusta poena puniatur, non exclusa officii privatione, firma damnum reparandi obligatione:

1º qui delictum de quo in § 1, n. 2, ex sua gravi culpa committit;

2º qui aliter graviter neglegens in bonis ecclesiasticis administrandis repertus fuerit.

**Can. 1377** - § 1. Qui quidvis donat vel pollicetur ut aliquis officium vel munus in Ecclesia exercens, illegitime quid agat vel omittat, iusta poena puniatur ad normam can. 1336, §§ 2-4; item qui ea dona vel pollicitationes acceptat pro delicti gravitate puniatur, non exclusa officii privatione, firma damnum reparandi obligatione.

§ 2. Qui in officio vel munere exercendo stipem ultra definitam aut summas adjunctivas aut aliquid in sui utilitatem requirit, congruenti mulcta pecuniaria vel aliis poenis, non exclusa officii privatione, puniatur, firma damnum reparandi obligatione.

**Can. 1378** - § 1. Qui, praeter casus iure iam praevisos, ecclesiastica potestate, officio vel munere abutitur, pro actus vel omissionis gravitate puniatur, non exclusa eorundem privatione, firma damnum reparandi obligatione.

§ 2. Qui vero, ex culpabili neglegentia, ecclesiasticae potestatis vel officii vel muneris actum illegitime cum damno alieno vel scandalo ponit vel omittit, iusta poena puniatur ad normam can. 1336, §§ 2-4, firma damnum reparandi obligatione.

### TITULUS III DE DELICTIS CONTRA SACRAMENTA

**Can. 1379** - § 1. In poenam latae sententiae interdicti vel, si clericus sit, etiam suspensionis incurrit:

1º qui ad ordinem sacerdotalem non promotus liturgicam eucharistici Sacrificii actionem attentat;

2º qui, praeter casum de quo in can. 1384, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impetrare attentat, vel sacramentalem confessionem audit.

§ 2. In casibus de quibus in § 1, pro delicti gravitate, aliae poenae, non exclusa excommunicatione, addi possunt.

§ 3. Tum qui sacrum ordinem mulieri conferre attentaverit, tum mulier quae sacrum ordinem recipere attentaverit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; clericus praeterea dimissione e statu clericali puniri potest.

§ 4. Qui deliberate sacramentum administrat illis qui recipere prohibentur, puniatur suspensione, cui aliae poenae ex can. 1336, §§ 2-4, addi possunt.

§ 5. Qui, praeter casus de quibus in §§ 1-4 et in can. 1384, sacramentum se administrare simulat, iusta poena puniatur.

**Can. 1380** - Qui per simoniam sacramentum celebrat vel recipit, interdicto vel suspensione vel poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur.

**Can. 1381** - Reus vetitae communicationis in sacris iusta poena puniatur.

**Can. 1382** - § 1. Qui species consecratas abicit aut in sacrilegum finem abducit vel retinet, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; clericus praeterea alia poena, non exclusa dimissione e statu clericali, puniri potest.

§ 2. Reus consecrationis in sacrilegum finem unius materiae vel utriusque in eucharistica celebratione aut extra eam pro gravitate delicti puniatur non exclusa dimissione e statu clericali.

**Can. 1383** - Qui quaestum illegitime facit ex Missae stipe, censura vel poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur.

**Can. 1384** - Sacerdos qui contra praescriptum can. 977 agit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit.

**Can. 1385** - Sacerdos, qui in actu vel occasione vel praetextu confessionis paenitentem ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum sollicitat, pro delicti gravitate, suspensione, prohibitionibus, privationibus puniatur, et in casibus gravioribus dimittatur e statu clericali.

**Can. 1386** - § 1. Confessarius, qui sacramentale sigillum directe violat, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit; qui vero indirecte tantum, pro delicti gravitate puniatur.

§ 2. Interpres aliique, de quibus in can. 983, § 2, qui secretum violent, iusta poena puniantur, non exclusa excommunicatione.

§ 3. Firmis praescriptis §§ 1 et 2, quicumque quovis technico instrumento captat aut in communicationis socialis mediis malitiose evulgat quae in sacramentali confessione, vera vel ficta, a confessario vel a paenitente dicuntur, pro gravitate delicti puniatur, non exclusa, si de clero agatur, dimissione e statu clericali.

**Can. 1387** - Episcopus qui sine pontificio mandato aliquem consecrat in Episcopum, itemque qui ab eo consecrationem recipit, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurront.

**Can. 1388** - § 1. Episcopus qui, contra praescriptum can. 1015, alienum subditum sine legitimis litteris dimissoriis ordinavit, prohibetur per annum ordinem conferre. Qui vero ordinationem recepit, est ipso facto a recepto ordine suspensus.

§ 2. Qui ad sacros ordines accedit innodus quadam censura vel irregularitate, voluntarie reticita, praeter id quod statuitur in can. 1044, § 2, n. 1, est ipso facto a recepto ordine suspensus.

**Can. 1389** - Qui, praeter casus, de quibus in cann. 1379-1388, sacerdotiale munus vel aliud sacrum ministerium illegitime exsequitur, iusta poena puniatur, non exclusa censura.

#### TITULUS IV DE DELICTIS CONTRA BONAM FAMAM ET DE DELICTO FALSI

**Can. 1390** - § 1. Qui confessarium de delicto, de quo in can. 1385, apud ecclesiasticum Superiorem falso denuntiat, in interdictum latae sententiae incurrit et, si clericus sit, etiam in suspensionem.

§ 2. Qui aliam ecclesiastico Superiori calumniosam praebet delicti denuntiationem, vel aliter alterius bonam famam illegitime laedit, iusta poena puniatur ad normam can. 1336, §§ 2-4, cui praeterea censura addi potest.

§ 3. Calumniator cogi debet etiam ad congruam satisfactionem praestandam.

**Can. 1391** - Poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, pro delicti gravitate puniatur:

1º qui ecclesiasticum documentum publicum falsum conficit, vel verum mutat, destruit, occultat, vel falso vel mutato utitur;

2º qui alio falso vel mutato documento utitur in re ecclesiastica;

3º qui in publico ecclesiastico documento falsum asserit.

#### TITULUS V DE DELICTIS CONTRA SPECIALES OBLIGATIONES

**Can. 1392** - Clericus qui sacrum ministerium voluntarie et illegitime relinquit, per sex menses

continuos, cum animo sese subducendi a competenti Ecclesiae auctoritate, pro delicti gravitate, suspensione vel etiam poenis in can. 1336, §§ 2-4, statutis puniatur, et in casibus gravioribus dimitti potest e statu clericali.

**Can. 1393** - § 1. Clericus vel religiosus mercaturam vel negotiationem contra canonum praescripta exercens pro delicti gravitate puniatur poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4.

§ 2. Clericus vel religiosus qui, praeter casus iure iam praevisos, in re oeconomica delictum committit, vel graviter violat praescriptiones, quae in can. 285, § 4, recensentur, poenis de quibus in can. 1336, §§ 2-4, puniatur, firma damnum reparandi obligatione.

**Can. 1394** - § 1. Clericus matrimonium, etiam civiliter tantum, attentans, in suspensionem latae sententiae incurrit, firmis praescriptis cann. 194, § 1, n. 3, et 694, § 1, n. 2; quod si monitus non resipuerit vel scandalum dare perrexerit, gradatim privationibus vel etiam dimissione e statu clericali puniri debet.

§ 2. Religiosus a votis perpetuis, qui non sit clericus, matrimonium etiam civiliter tantum attentans, in interdictum latae sententiae incurrit, firmo praescripto can. 694, § 1, n. 2.

**Can. 1395** - § 1. Clericus concubinarius, praeter casum de quo in can. 1394, et clericus in alio peccato externo contra sextum Decalogi praeceptum cum scando permanens, suspensione puniantur, cui, persistente post monitionem delicto, aliae poenae gradatim addi possunt usque ad dimissionem e statu clericali.

§ 2. Clericus qui aliter contra sextum Decalogi praeceptum deliquerit, si quidem delictum publice patratum sit, iustis poenis puniatur, non exclusa, si casus ferat, dimissione e statu clericali.

§ 3. Eadem poena de qua in § 2 puniatur clericus qui vi, minis vel abusu suaे auctoritatis delictum committit contra sextum Decalogi praeceptum aut aliquem cogit ad actus sexuales exsequendos vel subeundos.

**Can. 1396** - Qui graviter violat residentiae obligationem cui ratione ecclesiastici officii tenetur, iusta poena puniatur, non exclusa, post monitionem, officii privatione.

## TITULUS VI DE DELICTIS CONTRA HOMINIS VITAM, DIGNITATEM ET LIBERTATEM

**Can. 1397** - § 1. Qui homicidium patrat, vel hominem vi aut fraude rapit vel detinet vel mutilat vel graviter vulnerat, poenis, de quibus in can. 1336, §§ 2-4, pro delicti gravitate puniatur; homicidium autem in personas de quibus in can. 1370, poenis ibi et etiam in § 3 huius canonis statutis punitur.

§ 2. Qui abortum procurat, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae incurrit.

§ 3. Si de delictis agatur de quibus in hoc canone, in casibus gravioribus clericus reus dimittatur e statu clericali.

**Can. 1398** - § 1. Privatione officii et aliis iustis poenis, non exclusa dimissione e statu clericali, si casus id secumferat, puniatur clericus:

1º qui delictum committit contra sextum Decalogi praeceptum cum minore vel cum persona quae habitualiter usum imperfectum rationis habet vel cui ius parem tutelam agnoscit;

2º qui sibi devincit aut inducit minorem aut personam quae habitualiter usum imperfectum rationis habet aut eam cui ius parem tutelam agnoscit, ut pornographice sese ostendat vel exhibitiones pornographicas, sive veras sive simulatas, participet;

3º qui contra bonos mores sibi comparat, detinet, exhibet vel divulget, quovis modo et quolibet instrumento, imagines pornographicas minorum vel personarum quae habitualiter usum imperfectum rationis habent.

§ 2. Sodalis instituti vitae consecratae vel societatis vitae apostolicae, et fidelis quilibet aliqua dignitate gaudens aut officio vel functione in Ecclesia fungens, si delictum committat de quo in § 1 vel in can.

1395, § 3, puniatur ad normam can. 1336, §§ 2-4, adiunctis quoque aliis poenis pro delicti gravitate.

TITULUS VII  
NORMA GENERALIS

**Can. 1399** - Praeter casus hac vel aliis legibus statutos, divinae vel canonicae legis externa violatio tunc tantum potest iusta quidem poena puniri, cum specialis violationis gravitas punitionem postulat, et necessitas urget scandala paeveniendi vel reparandi.

\* \* \*